



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Antonii Mvsae Brasavoli Medici Ferrariensis Examen  
omnium Trochiscorum Vnguentorum, Ceratorum,  
Emplastrorum, Cataplasmatumque, & Collyriorum**

**Brasavola, Antonio Musa**

**Venetiis, MDLI**

Senex X.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70720](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70720)

cipis semina minora frigida, quæ sunt lactucæ, endiuicæ, scariolæ, & cicoreæ semina? SE. Quia illa accipi consuetum est apud authores. BRAS. Immo & præter consuetum illa etiam merito intelligenda sunt, cum simpliciter dicitur quatuor semina maiora. s. frigida semina, cum quia nobiliora, tum quia perfectiora. SEN. Sunt ne aliæ horum trochiscorum apud Arabes saltem compositiones? BRAS. Immo multæ extant, quæ ad eandem tendunt intentionem, nam apud Halyabatem in decimo Practicæ tres sunt trochiscorum de spodio compositiones, & Auicenna in quinto Canone duas refert compositiones, quæ & si aliquo modo ab his Mesue differant, tamen & ipse unam habet cum semine acetosæ, Serapio & ipse tres habet compositiones, quarum una acetosæ semine recipit. Rasis uero non quidem in uno loco, sed diuersis in partibus diuersas etiam scribit compositiones, ut in nono, et in decimo ad Almansorem, & in Antidotario. SE. Auicennæ compositiones, & Serapionis saltem audire percuperem. BRAS. Tu illas cum otium dabitur legere poteris, interim ad alias trochiscorum compositiones te accingito.

## S E N E X X.

Trochisci de Camphora huc accedunt. BRAS. A quo authore illos accipis? SE. A Mesue, qui ait ad febres conferre multæ inflammationis, et ad sitim uehementem, & incensionem cholæræ rubræ, & sanguinis ebullitionem, & supercalesfactionem stomachi, & hepatis, & ictericam, & cõserunt hectica, & phthisi. BRAS. Quomodo illos conficit? nam per totam Italiam, hi  
 b                    seruantur



## BRASAVOLI

seruantur de camphora Mesue trochisci. SE. Ita illos parari docet Mesue.

Recipe foliorum rosarum drach. III.

Spodij drach. II.

Sandalorum citrinorum drach. II. 5.

Croci drach. I.

Glycyrrhizæ drach. II.

Seminis citrulli

Melonis

Cucumeris

Cucurbitæ

Tragacanthi

Gummi

Spicæ

Singul. drach. I.

Ligni aloes

Cardamomi

Amyli

Camphoræ

Singu. drach. I. partes duas  
idem scr. II.

Zucheri tabarzet

Tereniabin

Sing. drach. III.

Cōfice cum mucilagine psyllij et aqua rosacea. BR AS.  
Auicenna quinq; posuit horum trochiscorum compositiones, sed hæc sola illa est quæ in usu habetur, ueruntamen aliqua Auicennæ compositio ad hanc alludit, nulla tamen eadem est. Serapio unam habet ab hac distinctâ compositionem, & Halyabas in primo Practicæ duas, et Rasis duas refert compositiones. SE. Sunt ne in eodem loco apud Rasis? BRASA. Non prorsus quis



una est in capite de Cordis tremore, altera uero i capite de Ictericia, suntq; inter se differentes. Adde praeterea in capite de Medicinis hepatis aliam attulisse ab his descriptione, hocq; est in diuisionum Antidotario, immo & in capite de Hectica febre aliam quandam describit, quas oēs surda aure pertransire decreuimus. SE. Hæc compositio secūdum Mesuem conuenit ad febres multæ inflammationis, & ad sitim uehementem, at cur spicam recipit quæ calida est? BRAS. Cum in biliosis præbetur febribus spicā prorsus auferrem, crocum, cardamomum, & lignum aloes, quanquā rem hanc haud magnificiendam esse arbitror. SE. Sunt ne apponēdæ æquales partes aquæ, et mucilaginis psyllij. BRAS. Minime, at intelligēda ē psyllij mucilago aqua rosacea extracta. SE. Nonnullos audiui qui inquiunt horum trochiscorū loco collyrio albo Rasis nos uti posse, quod calida haud recipit. BRAS. Cum hi trochisci de Camphora per os quādoq; sumantur, et collyrium album per os summi nō debeat, quia cerussam recipit, iccirco pro eodem accipi non debet, quod autem superius dixi intelligendum esse psyllij mucilaginem aqua rosacea esse educendam ita forte intelligendum est, quod gūmorum genera quæ compositi onem ingrediuntur aqua rosacea dissoluantur reliqua deinde psyllij mucilage commisceantur, & in trochiscorum formam reducantur, tamen quicquid sit hoc non est magni momenti negotium, tu uero compositionem aliam adducito. SE. Nullus est apud antiquos qui de his trochiscis mentionem fecerit? BRAS. Neq; ipsa camphora fuit antiquioribus nota, ne dum de camphora trochisci.